

23

IOANNIS SCHÖNERI IN FABRICAM ET VSVM MAGNAE REGV- læ Ptolemæi annotationes.

Pro fabrica regulæ magnæ Ptolemæi ad in-
star illius de aurichalco factæ per M. Ioannem
de Montereio, quæ Nurenbergæ reperitur.



HAC tibi primum præparari duas regulas pla-
nas superficierum parallelogrammorum, longi-
tudinis quatuor cubitorum, sufficientis tamen
grositudinis. In medio cuiusq; earum latioris la-
titudinis, duclineam rectam AC in una, in alte-
ra uero AD. Sit autem AC linea recta in regula fortiori, siue
grosiori. Deinde parabis etiam regulam tertiam, quæ sit CE
iustę latitudinis et spissitudinis, longitudinis tamen 6 cubito-
rum. Tribus his regulis sic iustę & planissimę præparatis. Con-
cipe longitudinem lineæ AC, uel AD, (nam eiusdem longitu-
dinis esse debent) ad placitum, ab A puncto, usq; in acumen e-
ius D, & eandem lineæ longitudinem applicabis regulæ longif-
simę, scilicet CE, & hoc à puncto C uersus E, cuius termino af-
signabis numerum 100000. Hanc longitudinem lineæ AC,
huic regulæ longiori applicatam, diuide in latere illo, quod su-
periores partem Instrumenti respicit, à puncto C, usq; in af-
signatum numerum 100000, in partes æquales 10. Deinde eti-
am iterum quemlibet diuisionũ in 10 æquales partes, Sic pro-
cede etiam ultra assignatum numerum 100000, usq; in finem
regulæ longioris. His diuisionibus ascribe suos numeros debi-
tos, semper per 1000 scandendo, & numeros augendo, donec
ad finem perueneris, sic ut in prima diuisione apud C punctum,
regulæ CE ponas 1000, in secunda 2000, in tertia 3000, &c.

g iij

Qui